

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 6759

**Autre(s) référence(s) :** Round 543

**Auteur(s) :** Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Le Plessis-Grimoult, Saint-Étienne (prieuré)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** faux

**Datation :** [1155-1158]

**Lieu d'émission :** York

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Confirmation générale des biens appartenant au prieuré du Plessis-Grimoult. — Charte falsifiée.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° LXXV, t. 1, p. 178-180.

### Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationary Office, 1899, n° 543.

## Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 1, p. 178.

Voir DELISLE, *Recueil des actes de Henri II*, Introduction, p. 306 ; DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 1, p. 178.

Texte établi d'après a

Ego H., Dei gratia rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavensium, divine caritatis instinctu commonitus, religiosarum etiam personarum intercessione rogatus, pro mea pariter et uxoris mee et filiorum meorum et patris et matris mee et omnium fidelium Dei salute concedo et presentis astipulatione carte confirmo canonicis regularibus de Plaissicio omnes elemosinas quas largitione pontificum et fidelium laicorum donatione possident in ecclesiis, decimis, terris, hospitibus, molendinis et aliis possessionibus, nullusque eis injurius sive contumeliosus contra presentem auctoritatis nostre paginam esse presumat. Nomina vero ecclesiarum, decimarum, terrarum sive reddituum que ad ecclesiam supradictorum canonicorum spectant presentibus litteris denotari precipimus, ut neque presentes neque futuri possint ambigere quod inconvulsum presenti mandamus preceptione permanere. Confirmo igitur supradictis canonicis ecclesiam Sancti Stephani de Plaissicio, quam Ricardus Baiocensis episcopus filius Samsonis dedit eis petitione et consensu Samsonis sacerdotis ad quem ecclesia

eadem pertinebat, cum decimis et omnibus appendiciis suis. Ad ecclesiam vero pertinet tota et plena ejusdem parrochie decima, et foreste similiter et tres burgenses in eadem villa, et mansum sacerdotis antiquum, et Buisnou et Sauscetum et le Hamel et terra de Cruce Emeline. Ex dono autem memorati Ricardi Baiocensis episcopi quatuor acre terre juxta castrum et viginti acre in eadem parrochia, quas idem episcopus dedit in dedicatione ecclesie, et terra Rogerii filii Dode et Willelmi de Felgeroto et Odonis Ferrarii et Ernulfi pretoris. Dedit etiam predictus episcopus eisdem canonicis ecclesiam de Estudefurno cum capella de Fontanis et cum omnibus earum appendiciis, ecclesiam de Rullos cum decimis et appendiciis suis, ecclesiam de Campo Andree cum decimis et appendiciis suis, ecclesiam de Monte Calveto cum decimis et appendiciis suis. Secundus Ricardus Baiocensis episcopus consensu et rogatu omnium canonicorum Baiocensis ecclesie dedit Campum Osberti antedictis canonicis immunem et liberum ab omni servitio seculari ad ecclesiam eorum transferendam, ut secretius ibi deservire Deo possent, et molendinum de Ecuris, et masuram Godefredi burgensis de Sancto Johanne, et terram cujusdam mediatoris et Rogeri filii Marie et ecclesiam de Bretevilla Rabel et capellam de Cornuto, et quicquid habent in ecclesia Sancti Vigoris de Maiseretis. Ex dono quoque Philippi Baiocensis episcopi consensu et interventu canonicorum Baiocensium prebendam de Sancto Johanne le Blanc cum omnibus appendiciis suis habent prefati canonici de Plaissicio im perpetuum possidendam, et ecclesiam de Campellis cum omnibus appendiciis suis, et ecclesiam Cahendole cum omnibus appendiciis suis, et ecclesiam de Trutimerio cum capella de Effernet et cum earum appendiciis, et ecclesiam de Felgerolis, et ecclesiam de Burleio cum earum appendiciis, excepto quod de eisdem ad prebendas pertinet. Preterea Rogerius de Vetula dedit prescriptis canonicis de Plaissicio quinque virgas vinee apud Argencias et decimam molendini de Lesheidun. Et Willelmus Sapiens decimam molendini de Marsenges. Et Willelmus Tanatin viginti acras terre in Reineri maisnello et duas in Hairain. Et Radulfus Bigot terram cujusdam vavassoris apud Malestree. Et Radulfus dapifer terram Durandi de Rufavilla cum duabus acris prati. Et Helto conestabularius terram suam de Hamel, quam ipse et filii ejus dederunt memoratis canonicis cum Graelendo filio suo im perpetuam elemosinam. Sed et hoc concedo et firmiter precipio quod totum corredium et omnes res proprie eorumdem canonicorum quas homines sui affidaverint suas esse proprias sint quiete per totam terram meam de teloneo et passagio et omni consuetudine quocunque venerint tanquam elemosina mea propria. Si quis autem hanc libertatis nostre diffinitionem minuere vel in aliquo temerare presumpserit, in presenti principali fisco centum libras argenti persolvat et in futuro divinum iudicium non evadet.

Testibus : Arnulpho Lexoviensi et Philippo Baiocensi episcopis, et Roberto episcopo Lincolniensi, et Thoma cancellario, et Ricardo de Hummetis.

Apud Eboracum.